

**Dissertatio medica inauguralis de hydropo ascite / [Johann Casimir Taubenheim].**

**Contributors**

Taubenheim, Johann Casimir.

**Publication/Creation**

[Altdorf] : H. Meyer, 1683.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/pnr82875>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS 2

De

# HYDROPE ASCITE,

*Quam,*

Divinâ Juvante Gratiâ,

*CONSENSU GRATIOSISSIMÆ*

FACULTATIS MEDICÆ,  
IN CELEBERRIMA NORICORUM  
UNIVERSITATE,

Pro

## LICENTIA,

Summos in Medicina Honores & Privi-  
legia ritè capesfendi,

*Público Eruditorum examini*

*subjicit*

JOHANNES CASIMIRUS Raubenheim/  
Thorunensis.

*Die 7. JunI, Ann. M DC LXXXIII.*

---

*ALTDORFFI,*

Literis HENRICI MEYERI, Univ. Typogr.

MYOPIA  
ASSOCIATE

Diana Auguste Grant

COMPTON ST. BOSTON

COLLEGE OF MEDICINE

IN COLUMBIA UNIVERSITY

NEW YORK

LICENTIA

Summus in Medicina Honoris &c

legi nec espedi

IN COLUMBIA UNIVERSITY

1852

JOHANNES CASIMIRUS

THOMAS

1852

ATTEST

1852



B. C. D.

§. 1.



Vita nostra non nisi continuus quidam est Spirituum, hinc Sanguinis & reliquorum humorum motus; ita Sanitas, quæ vitæ quædam integritas est, ab eodem hoc partium Fluidarum, secundum naturam sese habentium, motu effectivè dependet. Etenim supposita hic decenti partium solidarum omnium, intra o-

vulum uterinum, à spiritu plastico conformatione, ut, mediante hâc, quælibet munia sua obeat, & à spiritu, & à sanguinis decenti habet influxu. Hinc est, quod tanti momenti sit ad conservandam sanitatem motus frequentior corporis, quatenus ex crebriore plurium plus minus musculorum contractione, sanguinis in vasa venarum capillaria transitus multum adjuvatur, qui, repetito per Cor & partes reliquas fluxu & refluxu, incalescit magis rarefcitq;, & non solum, ad extrudendas è sinu suo particulas excrementitias aptior sic redditus, copiosius has in partibus colatoriis deponit, sed spirituum quoque animalium, in corticalibus Cerebri glandulis secretionem, & motum, suo modo, per medullares ejusdem productiones, accelerat.

§. 2. Motu hoc Fluidarum corporis nostri partium, seu spirituosarum, seu humorosarum, quomodocunq; vitiato, varia in nos redundant incommoda, vitaq; tandem ipsa periclitatur. Exemplo nobis esse potest Lymphæ in Hydrope Ascite motus læsus, quam examini nunc pro virili subjicere (faxit Deus feliciter!) constituimus. Dicitur autem ita vulgò Ascites, quod secundum *Plat. in Prax. & Borell. C. 1. Obs. 70.* venter utrem aqua repletum referat, unde quoque ad Morbos in magnitudine aucta referri, & per Tumorem definiri solet. Sed si consideremus primò deprehensos quosdam post mortem Asciticos, nullo ventris tumore, dum viverent, notabiles, quale quid in puero Basileæ annotavit *Job. Jacob. Harder in Epist. ad Peier. data;* deinde

nec Tumorem præcisè esse, qui actiones in asciticis semper lædit, potius ad morbos in situ Ascites referenda, atque per collectionem seri præternaturalem intra abdomen, definienda erit.

§ 3. Abdominis mentionem facimus, tanquam subjecti Inhæſionis primarii, licet ut plurimum Scrotum, femora, crura pedesq; simul intumescant. Non uno autem modo abdomen hic affici, ex pluribus Autorum observationibus constat. Ita spuriam Ascitem habet *Rhod. C. 3. Obs. 6.* ex humore nigro intra abdomen & hujus musculos collecto, & in *Miscell. Acad. Nat. Curios. ann. 4. Obs. 148.* tumor ventris hydropicus proſtat, ab humiditatis serosæ mensuris 54. extra peritonæum collectis, cui simile in virgine annotavit *Gerhardus Blasius Obs. Med. 18.* & in muliere *Bartbol. C. 1. Obs. 2.* Frequentius tamen serum intra ipsam abdominis cavitatem reperitur, imò in hanc crebrius, præ cavitatem thoracis, & ventriculorum cerebri, effundi observatur. Causam existimamus innumeras lymphaticorum distributiones, dum & ab Epate, & Liene, & glandulis mesenterii atque inguinalibus &c. ista copiosissimè promanant. Imò accensenda his ipsa vasa lactea primæ generis sic dicta videntur, dum in collegio nupero Anatomico *Viri Nobiliss. Ampliss. Excellentiss. atq; Experientiss. DN. D. BOHN, Professoris apud Lipsienses Clarissimi, Mæcenatis atq; Præceptoris nostri per omnem vitam devotissimè colendi,* die 12. Febr. in cane vivo post pastum dissecto, quædam ex vasis lacteis chylo antea plena, post aliquod interjectum tempus, non chylo, sed lymphâ turgida annotavimus, ut suspicari liceat, & ista, quæ die 4. & 8. Decembr. anni elapsi ex intestinis produci vidimus vasa lympham vehementia, vasa fuisse lactea, confluentis in intestinorum cavitatem & lymphæ glandularum, & succi pancreatici aliquam partem ad commune receptaculum deferentia. Quibus addendum, quod læsio quæcunq; enormior unius alteriusq; intra abdomen visceris (qualia hoc plura continet) facile comitem trahat Ascitem, quales læsiones frequentissimæ sunt, scirrhusæ epatis, lienis atque glandularum mesenterii indurationes. Ut taceam, multum huc quoque conferre lymphæ non ita expeditum per vasa sua motum, atque dum eadem intra partes musculosas decurrunt, à quarum continua, in qua versantur, contractione, atque sic ex omni parte blanda compressione,

mul-

multum in refluxu suo versus Cor juvatur lymphæ, eò hic præ-  
 terea difficiliore, quia magis fit secundum perpendiculum.

§. 4. In ipso abdominis cavo autem porro non uno modo col-  
 lectum deprehenditur serum, dum nunc extra receptacula flu-  
 ctuare atque viscera ibidem contenta alluere, nunc receptacu-  
 lis quibusdam, majoribus aut minoribus, inclusum notatur. Ex  
 receptaculis majoribus varia apud autores occurrunt, v. g. li-  
 gamentum Uteri superius, apud *Rolfinc. de Organ. Gener. c. 20.*  
 Omentum, secundum *Hild. C. 3. Obs. 34.* Mesenterii membra-  
 næ juxta *Tulp. l. 2 Obs. 34.* Tubæ uterinæ secundum eundem  
*l. 4. Obs. 44* involucria sceminorum testiculorum, ex observati-  
 one *Schenk. l. 3. Obs. p. 432. &c.* Minora receptacula sunt vesicæ  
 illæ, aqua plus minus limpida turgidæ, Hydatides dictæ, à qui-  
 bus solis sæpe tumorem abdominis asciticum nasci *River. in Prax.*  
*Zicut. Lus. l. 2. de Hist. Med. princ. hist. 124. Volkerus Coiter. Obs.*  
*chir. misc. p. 117. & alii testatum faciunt.*

§. 5. Quoad modum illarum generationis videntur quan-  
 doq; nihil aliud esse, quam lymphæ inter membranas viscerum  
 effusa, atque diversis harum spatiis coërcita, ad eundem ritum,  
 quemadmodum ex injectâ in arterias cujuscunq; visceris per si-  
 phonem aquâ, atque, propter expeditum minus in venas ca-  
 pillares ingressum, intra membranarum anfractus profusâ, Hy-  
 datides istiusmodi artificiales formari solent. Lymphatica in-  
 terim dilatata has sæpius quoque formare probabile est. Etenim  
 præpedito per ista lymphæ, versus massam sanguineam, refluxu,  
 vasâ ipsâ, ob continuum recentis appulsus, primò illic, ubi  
 refluxus circiter impedimentum hæret, hinc sensim versus radi-  
 ces suas dilatantur. Quæ intumescencia illorum velut interse-  
 ctionibus quibusdam, ad modum vesicularum piscium, distin-  
 cta est, ob intercurrentes valvulas plures, quatenus stagnans  
 inter proximas quasq; binas lymphæ, media imprimis interstitia  
 dilatât, sicq; sacculos aquosos, plus minus ovales efformat. Ta-  
 les hydatides frequentissime videntur, quæ per Mesenterii tra-  
 ctum sub ovali figura annotari solent, v. g. in agnis ex observa-  
 tione *Viri Nobiliss. Ampliss. Excellentiss. atq; Experientiss. DN. D.*  
*MAURICII HOFFMANNI, Decani p. t. admodum spectabilis, Domini*  
*Patroni atq; Promotoris æternum venerandi, hac ipsa in conjectura*  
 pollicem quoq; nobis prementis.

§. 6. Addendum his, non impossibile fortassis esse, produci hydatides quandoq; ad eum ritum, quem in vesicatoriorum applicatione observamus, à quorum particulis salinis aculeatis dum fodicantur fibræ simul & glandulæ cutaneæ, hæ, fortiori sua & repetita sæpius strictura, serum cøpiosius exprimunt, quod inter cuticulam coërcitum, hanc in vesicam attollit. Conjecturæ huic ansam suppeditat, & notabilis sæpe feri asciticorum acrimonia, & continuus ille imprimis viscerum mador, qui in brutorum sectionibus notatur. Cum enim hunc non aliunde, nisi ab illorum transpiratione, derivare liceat, atque hæc in exteriori quidem corporis nostri ambitu, mediante glandulosa cutis textura peragatur, credibile est, interiorum viscerum partiumq; transpirationem ad eum quoq; ritum fieri, præprimis cum nulla humoris à massa sanguinea, nisi in colatoriis quibusdam organis, fieri secretio hæctenus videatur. Certè tubercula illa innumera minora, quæ per peritonæum undiq; disseminata annotavit *Oli-ger Jacobæus in Act. Med. Hassn. Vol. 3. Obs. 64.* nihil fortassis aliud fuerunt, quàm glandulæ peritonæi à sero tumefactæ, hinc conspectiores redditæ.

§. 7. Pars affecta ratione radicationis ex partibus fluidis ut plurimum est Massa sanguinea. Ex partibus abdominis continentibus quæ sit, ex inspectionibus cadaverum anatomicis determinari nequit. Nam cum acriusculum sit ut plurimum serum hoc asciticorum, atque eidem viscera abdominis sæpe diu inna- tent, quin aut in putrilaginem solvi, aut erodi sensim, atque exulcerari, aut indurari etiam possint, vix dubitandum est. Certè tales sunt omenti atque mesenterii in plurimis hydropicis nota- tæ corruptiones, vid. *Plat. Prax. Tom. 3. p. 243.* imò & glandu- larum tam frequentes scirrhus à circumfluo calido sero, velut sub elixatione generari, cum *Wepffero Tr. de Apoplex.* suspicari licet. Epar, quod tantum non omnes Veteres hic accusarunt, insons ut plurimum est, & constat per experientiam plurium autorum anatomicam, sæpe adfuisse hydropem salvo epate, qualium e- xemplorum ingens catalogus videri potest apud *Helmont. Tr. Ignot. hydrops §. 11.* & apud *Bonett. in Sepulchr.* ut nihil nunc dicam de Exsequiis, quæ Sanguificationi ejus ductæ sunt, pu- blicis,

§. 8. Quoad causam Ascitis materialem proximam & continentem, hæc in genere Serum est, quatenus hujus nomine nihil aliud intelligimus, quam partem massæ sanguineæ limpidam, & purpureæ ejus tincturæ expertem. Et quidem nutritium hoc ut plurimum esse probat (1.) Seri hujus, in ipso asciticorum abdomine, nunc in gelatinam, nunc materiam aliquam pultaceam similemve, coagulatio, spectatq; huc imprimis, quod *Barbette in Praxi* habet p. 143. qui in foeminae cujusdam hydropicæ abdomine dissecto, primo lympham tenuem & fluidam, deinde gelatinam, tertio concretam, tandem duram & Steatomaticam invenit. (2.) *Willis. Phar. rat. part. 2. p. 156* serum hoc exemptum, instar ovi albuminis, à calore inspissari atque albescere testatur; quatenus evaporatis particulis aqueis & magis lubricis, gelatinosæ & nutritiæ, ramosæ quasi, à motu calorifico in se invicem impulsæ, mutuo sese complectuntur, atque juxta se invicem quiescentes soliditatem tandem induunt. Quibus addenda (3.) macies, quam hydropici omnes experiuntur, & partium superiorum extenuatio. Cum enim parte Sanguinis gelatinosa & crystallina corpus nostrum nutriatur, fieri aliter non potest, quam ut, uberius hac intra abdomen deposita, partium poruli succo hoc suo nutritio destituti concidant, fibræ quoque de tensione sua multum remittant, atque ita atrophia tandem sequatur.

§. 9. Interim & excrementitium aliquando serum hoc esse fatendum est. Nam rectissime *Helmont.* Renum in secernenda urina defectus hic accusat *Tr. Ignot. hydrops.* & sæpe, ut ex sequentibus constabit, neglectus ab his latex, in abdominis cavum deponitur; ut nihil dicam de ascite ex Ureteribus, aut vesica urinaria ruptis aut erosis, vid. *Plat. Prax. Tom. 3. p. 244.* & *Dodonæus Obs. c. 34.* Imo quia & paucior urinæ secretio, & transpiratio in hydropicis difficilior contingit, nullum dubium est, quin viis istis quæ eliminari solebant particulæ serosæ excrementitiæ, reliquo lymphæ intra massam sanguineam torrenti involutæ, cum hoc in abdomen abripiantur.

§. 10. Serum ergo hoc porro ut plurimum alicujus acrimoniæ particeps est, quam intensiorem tandem reddi, ob diffracta magis magisque, à motu ejus fermentativo aut putrefactivo, in  
 minu-



minutiores particulas spicula salina, probabile est, quemadmodum & urina sub ea acredine in renibus non secernitur, quam in vesica à diuturniore mora, & hinc inchoata quadam quasi putredine, contrahit. Testantur de acrimonia hac erosiones partium nonnullarum, & mutuus earundem coalitus in abdomine, vid. *Plat, in Prax.* imprimis morficationes illæ intestini recti, quas in uberiore feri hujus per alvum depositione, experiuntur hydrofici. Ad acescentiam autem in specie inclinare hanc acredinem persuadere videtur non infrequens acidi præternaturalis in hydroficis dominium. Ita coagulatum lactis balneum à sudore fœminæ hydroficæ *Borrichius in Act. Med. Hassn. Vol. 4. Obs. 69.* refert, & *Rhod. C. 3. Obs. 8.* halitum in puero hydrofico sulphureum annotavit. Imprimis hoc testantur Urinæ flammeæ & rutilantes, quas tincturam hanc suam, ab acido præternaturali, in Massa sanguinea dominante, mutuari, docuit me *Beatissimus Dn. D. Micbaël Ettmüller*, Præceptor desideratissimus, cujus præmaturum obitum deflere Respublica literaria medica nunquam dignè satis poterit. Quibus addendum, & Emeticorum, in hydroficis, præsertim confirmatis, frustraneam exhibitionem, eorundem ab acido præternaturali intra primas vias alterationi atque fixationi quasi adscribendam esse.

§. 11. Color feri in affectu nostro varius observatur, & multum sæpe à crystallina lymphæ limpiditate recedens. Ut plurimum est flavus, plus minus citrinus aut lixivialis, interdum sanguineus, imò niger, qualem observavit *Cass. Baubin.* apud *Bonett. Sepulchr. p. 811.* Nigredo haud dubie à majori feri facta porositate, & luminoso intra poros ejusdem radiorum suffocatione oritur, cujus mutatae texturæ causam suspicamur primò acidum aliquod præternaturale. Confirmant hoc (1.) annotata à Bauhino in citato casu symptomata complura, v. g. vomitiones biliosæ, Voracitas, tormina quasi colica, alvi constipatio, corporis macies atque ischuria; item commoda ad aliquod tempus post usum thermarum plumbariarum valetudo. (2.) facit huc rara illa *Borrichii in Act. Med. Hassn. Vol. 1. p. 155.* observatio, ubi sudorem in fœmina pthifica matutinum, per plures dies tam atrum annotavit, ut linteamina nigerrimo colore inficeret. Quibus accedit (3.) & urinarum nigrarum in hypo-

hypochondriacis, & Ictericæ nigræ genesis, utrobique non nisi acido sui generis adscribenda. Deinde videntur quoq; cum hoc acido concurrere particulæ quædam peculiare heterogeneæ, quod, secundum naturam alias si sese habeat serum, hoc non in nigredinem, sed albedinem ab affuso acido quasi præcipitetur; & in tanta, tam phthificorum, quam hypochondriacorum, ubiq; frequentia, rarior tamen vel sudoris, vel urinarum nigrarum sit excretio. Terreas autem has in specie atque porosas suspicari facit (1.) præcedens in scæmina illa apud Borrichium febris petechialis insidiosissima, sub cujus motu in massa sanguineâ particulæ plures rigidiores factæ fuerunt, porosiores, & quasi excoctæ. (2.) Notum est, ex infusione Gallarum & Vitrioli, utrisq; limpida, atque alterâ particulis terreis, altera vitriolicis acidis imprægnatâ, liquorem emergere atratum, quod & cum infusione fl. rosarum atq; fl. cynosbat. succedit, si pariter infusioni Vitrioli commisceantur. Ut taceam, particulas istas terreas porosas, interdum sub sedimenti crassioris forma subsidere, quemadmodum fusci coloris sedimentum constituerunt, in sero asciticæ scæminæ, pariter hinc fusco, secundum *Transact. Angl. num. 140.*

§. 12. Citrinus atq; lixivialis color, à particulis salinis sulphureis, plus minus sero incoctis, deducendus est, eundem fere ad ritum, quemadmodum Aquam etiam limpidissimam cineribus affusam, ob particulas horum salinas sulphureas absorptas, colorem citrinum contrahere videmus, qualis quoq; emergit, si vel cum Sale Tartari & Sulphure com. eadem digeratur, vel Antimonium menstruo salino incoquatur, vid. *Willis. de Urin. c. 2. p. 228.* Cum enim ex §. 10. constare possit, particulas salinas plures serum hoc imprægnare, dubitandum non est, & sulphureas iisdem combinari, quod facile hæsi invicem, sub continuo motu sanguinis fermentativo, connubant, ut alias coire lubentissimè solent. Unde imprægnatum sic particulis salinis sulphureis serum, dum in abdominis cavo, à circumfuso viscerum circumjacentium calore, veluti digeritur, tincturam tandem ejusmodi citrinam & lixiviam ut plurimum contrahit.

§. 13. Sanguineum & loturæ carniū simile serum, colorem hunc habet, à globulis sanguineis, intra poros ejus fluctu-

antibus. Atque hic non alienum videtur quæerere cum *Willisio Pbar. Rat. part. 2. p. 187.* quare sanguis, qui aquæ affusus, ipsam illico tingit, proprium serum, quo cum intimè confunditur, & diu circulatur, nullo colore inficiat? Cujus rei causam existimamus diversam minimorum, tam in aqua, quam in lymphæ, texturam. Etenim cum particulas, ex quibus aqueum fluidum componitur, lubricas magis, flexiles, atque molis minimæ, hinc magis quoque mobiles, concipere nos jubeat facilis ejus in vapores attenuatio, ubi sanguis ei infunditur, globuli hujus rubicundi, instar concreti cujusdam saponiformis, facile à particulis aqueis velut dissolvuntur, & quaqua versum abripiuntur. Contra, cum densius fluidum lymphæ sit, atque particulis constet plurimis ramosis quasi, atque sibi invicem implicabilibus, quemadmodum hoc prompta ejus coagulatio docet, quæ intra poros ejus, dum cum sanguine per vasa sanguifera circulatur, laxè continentur particule sanguinis rubicundæ, ubi, post venæ sectionem verbi gratia, ab aëre superincumbente premuntur, facile poris istis extruduntur, atque lymphæ ipsa, secundum minima sua sibi propius accedentia, spissiore consistentiâ induit.

§. 14. Quoad modum generationis Ascitis, sive eum, quo serum intra abdominis cavitatem colligitur, ritum, duplicem hunc aliquis concipere posset; quatenus illud vel sub forma seri statim in abdomine accumulatur, vel, in vapores antea solutum, in guttas aqueas tandem densatur. De posteriori enim hoc modo cogitandi ansam suppeditat continuus viscerum mador, qui nihil aliud est, quam evaporans, per insensilem eorum transpirationem, serum, & in pristinam seri formam, post plurimum vaporosarum atomorum congregationem, redactum, dum in botum, suum &c. recenter mactatorum apertione, similes effumare observantur nebulæ, quales hyemali tempore inter expirandum nos formamus, & quas in guttas aqueas densari facile, notissimum est. A vaporibus talibus nasci Ascitem posse minus probabile videtur. Nam primò cum interrupta hæc sit viscerum per vitam omnem transpiratio, atque in omnibus contingat, non tam pauci futuri essent ascitici. Mirum interea est, qui fiat, quod, propter densatos illos vapores, non omnes tandem reddantur Ascitici, vel notabilis saltem, in abdomine omnium,

manium, post mortem deprehendatur seri quantitas. Ubi dici a nobis aliud non potest, quam transpirare illos per abdominis parietes, quemadmodum idem per thoracem de vaporibus thoracis suspicatur *Willis. Pbar. Rat. part. 2 p. 135* contribuente huc fortassis multum continuo a quo agitantur calore. Deinde obstat Seri, in affectu nostro, facilis super ignem coagulatio. Nam quemadmodum sudor nihil aliud est, quam auctior quædam transpiratio, & quod utrobique excernitur, Serum tantum est excrementitium, ibi quidem in guttas collectum, hic sub vaporum forma insensibiliter exhalans; ita excrementitium hoc quoque omne esse, quod ex partibus corporis nostri internis transpirat, concludere fas est. Addendum his, sæpius Ascitem post febres intermittentes, potum item aquæ copiosorem, sublecutam, ubi tamen motus massæ sanguinæ intestinus, hinc vaporum quoque exhalatio, multum imminuitur.

§. 15. Potius ergo sub seri forma in abdomine colligi statim hoc omne dicendum est, quicquid intra ejusdem cavitatem fluctuat. Et non alienum videtur a veritate, quod *Diemerbrock. Anat. l. 1. c. 12. p. 95.* asserit, scilicet, nunquam Ascitem generari, sine aliqua interiorum partium solutione continui. Nam exclusâ hic omni humorum per tunicas vasorum suorum transudatione, constat partes corporis nostri contentas, non nisi intra partium continentium vel porositates vel fistulosas quasi productiones moveri, adeoque & lympham, secundum naturam, intra certa fluitare receptacula. Quarum parietes cum pro transudatione sui ineptos inveniat, non nisi solutâ quomocunque illorum unitate, partes abdominis inundet necessum est.

§. 16. Et quidem in vasis lymphaticis si motus ejus impediatur, quæ continuo recenter advehitur lymphæ, neque reflueret, ob valvulas obstantes, neque moveri ulterius, ob præpeditas vias, dum potest, stagnat, atque magis magisque accumulata, tunicas lymphaticorum vasorum initio distendit, tandem, rigidiores quasi factas & minus flexiles, rumpit, sicque vel intra membranas viscerum, vel ipsam abdominis cavitatem effunditur. Pariter, quatenus cum sanguine intra ipsam partium solidarum substantiam movetur, si primò unitatem harum circa super-

ficiem solvi contingat, ex hiantibus in cavitatem abdominis porulis, quicquid intra hos lymphæ gelatinosæ pro nutritione deponitur, sensim exstillat, atq; uberius tandem colligitur. Deinde, si vel tardior per arterias ad partem, atque per ipsam hujus substantiam, sanguinis sit propulsio, vel idem in refluxu suo per venas impediatur, pariter tandem solutio unitatis, atque hinc lymphæ intra abdominis cavum effusio, contingit. Posterius hoc manifestò ostendit experimentum *Loweri* quod habet *de Cord. pag. 117.* ubi ligatis in cane venis jugularibus, salivam & lacrymas copiosius fluere annotavit, atque, in dissectis supra ligaturam partibus tumefactis, musculos omnes & glandulas, sero limpido maximè distentas atque pellucas, invenit. Quatenus sic factum fuit, ut ex copiosiori sanguinis per arterias appulsu, quàm qui per venas remeare potuit, partium capitum mollium pori, nonnihil dilatati & transformati, secedentem ubique à sanguine lympham uberius reciperent, faciliorem interea globulis sanguineis transitum concedentes. Qualis sanguinis venosi refluxus, intra unum atq; alterum abdominis viscus, si quoque contingat impedimentum, hoc ipsum similiter ex collecta uberius lymphâ, secundum fibras suas, glandulas, atque porositates omnes magis magisque intumescet, usque dum vel ruptâ tunicâ statim exteriori, vel in hydatides prius elevatâ, lympham in abdomen depluat. Quoad prius, seu tardiores sanguinis per arterias appulsus, quemadmodum hic arteriis capillaribus in partium porosam substantiam effusus, atq; in sanguinem venosum, per minima ubique discerptum, fortius impingens, hujus in capillares venarum radices ingressum plurimum juvat; ita, si minus vegeto affluat pulsu, & longior ejusdem intra partes mora, & tardior in venas capillares contingit ingressus, unde non potest non sensim magis magisque cum sanguine in divortium abire serum, atq; in majori tandem copia aggestum, ex ruptis viscerum tunicis in abdomen destillare.

§. 17. Quod ad causas remotas attinet, sunt eæ, quæ vel lymphæ, intra vasa lymphatica, motum impediunt, vel ejusdem, cum sanguine ad partes adductæ, secessum ab hoc, & intra poros partium aggestionem efficiunt. Prius contingit, vel ipsorum vasorum, vel lymphæ, intra illorum productiones fluitantis cul-

culpa. Vasa lymphatica accusanda veniunt (1.) quotiescunq; angustantur, quale quid observavit *Rudbek. de Vas. gland. serof. cap. 9.* dum in ove, propter compressa à tumore duro vasa lymphatica cruralia, & ipsa tumefacta, & glandulas, ex quibus producebantur, ad pugni magnitudinem distentas refert. Atque huc spectant frequentes glandularum Mesenterii scirrhi, quos in hydropicis omnibus annotari scribit *Rondeletius Pract. cap. 35.* quatenus angustata sic circa fines suos vasa lactea primi generis, quam ex intestinorum cavo hauriunt lympham, in abdominis tandem cavitatem rupta evomunt. (2.) Quoties eorum unitas solvitur, sive hoc per quandam quasi rupturam fiat, v. g. in vehementiori corporis motu, vid. *Willis. Phar. Rat. part. 2. p. 157.* sive per erosionem, quale quid suspicari licet in hydrope ex intestini Coli abscessu apud *Rhod. C. 3. Obs. 7.* item ex Omenti & Peritonæi abscessu apud *Columb. Anat. l. 15.*

§. 18. Lympha ipsa peccat, quatenus (1.) viscidior est & glutinosior, dum particulæ ejus, paucioribus aqueis dilutæ, ramulis quasi quibusdam sese implicantes, tardius sic inter se & per vasa moventur, imò fluidi naturam sensim amittentes, hæc passim obstruendo, dilatandoq; tandem rumpunt. Visciditatis hujus causæ sunt sæpe assumpta talia, bilis quoq; deficiens acrimonia, cujus vitia hic imprimis urget *Greulichius Dissert. de Bile, tractatui de Curand. bydrop. vera Method. annexa.* Nam vel genitus sic in Ventriculo chylus viscidus, vel à particulis salinis oleosis bilis intra intestina non rectè attenuatus, dum difficiliter per vasa lactea movetur, glandulasq; transit Mesenterii, facile in his stagnare, atq; sic tandem hydropem inferre potest. Idem metuendum, ubi quoq; statim à pastu corpus exercitiis immoderatis fatigatur, vid. *Willis. l. c.* quatenus sic, ob pauciorum spirituum ad digestionis negotium influxum, alimenta minus benè attenuantur & volatilisantur, sed in crudum & viscidum chylum degenerant. Pertinet huc quoq; hydrops ex potu frigidiore hausto post nimiam corporis incalescentiam, vid. *Willis. l. c. p. 157.* à cujus scilicet admiscelâ fluitans tunc uberius intra ventriculum & intestina lympha densatur, atque in patentia magis vasorum lacteorum orificia peristaltico intestinorum motu expressa, hæc facile obstruit. (2.) Peccat lympha, quoties in

quanto excedit, quale quid contingit in hydrope ex potu copiosiore, vid *Poter. C. 2. cap. 46. pag. 145.* Probabile enim est, ex frequentiori copiosiori; potus assumpti, tam per vasa Mesenterii, quam partium aliarum, lymphatica, transitu, hæc sensim magis magisque eò usque dilatari, ut tandem dissumpantur. Tandem (3.) accusanda lymphæ est, quando acrior existit, dum propter frequentiore spiculatorum salinorum, quæ soluta fovet, in tenerrimam lymphaticorum tunicam appulsam, hæc facile tandem perforatur atque eroditur; qualis causa fortassis aliquando esse potest istius hydropis, qui pthisi pulmonumque; exulcerationi supervenit, quatenus eadem lymphæ, quæ pulmones exulceravit, & lymphatica quædam in abdomine vasa erodere potest.

§. 19. Ex illis causis quæ lymphæ ex partibus, intra quas cum sanguine deposita erat, depluvium efficiunt, primò occurrunt, quæ partium in superficie unitatem solvunt. Atque huc imprimis spectant variorum intra abdomen viscerum abscessus atque exulcerationes, sive à causis internis, lymphæ v. g. acrimonia, sanguinis coagulatione, & hinc nata inflammatione &c. sive à causis & injuriis externis orientur, dum *Plat. Prax. tom. 3. p. 237.* duos ab equo delapsos in latus dextrum, prægressis læsi hepatis symptomatibus quibusdam, tandem hydrope extinctos refert, & in *Miscell. Acad. Nat. curios. ann. 6. p. 145.* exemplum habetur hydropis, ex vulnerato hinc suppurato epate nati.

§. 20. Deinde referenda huc, quæ circulationem sanguinis plus minus turbant. Et quidem venosi sanguinis refluxus impediti causæ quærendæ, vel in ipso sanguine, vel in ejus viis. Sanguis in culpa est, quoties est consistentiæ spissioris & minus fluidæ, spectatque huc ascites, quæ vel ab Epatis, vel lienis &c. scirrho similive tumore nascitur, vid. *Poter. C. 2. cap. 12. pag. 111.* quatenus difficiliore sic facto, per compressas plus minus venarum radices, sanguinis motu, ab hoc secedens serum facile in eam molem accumulatur, ut, ruptis tunicis viscerum, in abdomen decidat. Viæ sanguinis sunt partim Venæ, partim intermedii isti ductus partium, per quos idem in venas ex arteriis quasi colatur, vid. *Sylv. Tr. de Hydrop. §. 38.* Venæ in culpa sunt, quotiescunque angustantur. Per modum compressionis hoc fa-

ctum

Etum fuisse probabile est in illa Ascite, quam foemina apud *Plater. l. 3. Obs. pag. 620.* patiebatur, quoties uterum gerebat, dum constat, ob similem rationem & venarum nodosis intumescentiis seu Varicibus, gravidas esse obnoxias, atque hydatides, quas *Salmuth. C. 1. Obs. 38.* post difficilem partum annotavit, compressis quoq; forsitan venis tribuendæ sunt. Intermedii autem isti ductus ad malum hoc faciunt, quoties à debita suâ firmitate & tensione remittunt, pro sanguine aliàs transmittendo requisita, quale quid fieri probabile est in insigni spirituum defectu, aut alia quacunque læsione, ubi fibræ paucioribus, iisque minus elasticis spiritibus inflatæ, atque hinc minus tensæ redditæ, facile sanguinis serum in ipsis partibus hærerè permittunt, v. g. in hydrope, quem *Bartbol. C. 6. hist. 17.* à frigore inductum annotavit.

§. 21. Sed quæritur hic, cur non læso sanguinis per venas refluxu, Inflammatio potius partis contingat, quam seri intra eandem aggestio? Pro cuius dilucidatione credimus, præter simplicem sanguinis stagnationem, plurimum ad inflammationem facere pororum irritationem & spasmodicam contractionem plus minus majorem, dum, à tantillo etiam spinæ digito infixæ, totius sæpe brachii inflammationem observare licet. Sic enim fit, ut propter irritatos & arctius sese stringentes poros, non secundum limpida solum, sed rubicundam quoque sui portionem, intra hos detineatur sanguis, atque ita inflammationem inducat. Qualis sensilis irritatio dum deest in adducto superius Loweri experimento, & illa, quam ex *Plat. Obs. §. 20.* adduximus, Ascite, serum tantum accumulatur, globulis interea rubicundis, per patulos adhuc & proportionatos pro sui transitu poros, undiq; elabentibus.

§. 22. Quoad eas causas, quæ tardio rem sanguinis per arterias appulsum efficiunt, sunt hæc vel in ipso sanguine, vel organo eum propellente. Sanguis peccat in genere, quotiescunq; fermentatio ejus, & hanc consequens hæmatolis deficit, quod contingit aut ob deficientes, aut enervatas particulas ejus activas & spirituosas. Defectus illarum nascitur, dum aliquando non generantur, unde quemadmodum, secundum *Willis. Phar. Rat. part. 2. pag. 185.* sæpe in Anasarcam incidunt, qui vino & potui



potui lautiori antea adſueti, ad edulia tantum non famelica, & potum tenuiorem rediguntur, aut qui loca paluſtria aut maritima incolunt; ita ex eadem cauſa facilis quoque eſt in Aſcitem prolapſus. Deficiunt porro quoq; particulæ ſpirituofæ, quando, genitæ licet, abſumuntur, atque hujus loci ſunt, quicumque vel poſt morbos diuturnos & gravioreſ, ut Febreſ acutaſ, malignaſ &c. vel quaſcunq; ſanguiniſ, hujusque ſeri deprædationeſ Aſcitiſ facti ſunt. Ita Aſcitem annotavit poſt hæmorrhagiaſ nimiaſ & frequenteaſ *Borell. C. 1. Obſ. 70.* poſt phlebotomiaſ inconfideratiuaſ *Poter. C. 1. cap. 2.* Vomituſ ſanguiniſ *River. Obſ. comm. p. 265.* Menſium & hæmorrhoiduſ nimiuſ fluxuſ *Zac. Luſ. l. 2. de Med. Princ. hiſt. 116.* &c. Depleto enim ſic maſſæ ſanguineaſ penuſ, non ſubtiliſſimæ ſolûm & ſpirituofæ ejuſ particulæ evacuantur, ſed & illæ, quæ aptæ erant ſenſim in harum abire ſupplementuſ. Unde porro & ſpirituſ animaliuſ quantitate imminutâ, partiuſ tam in ſecernendiſ particulis ſeu excrementitiis ſeu utilibuſ, quàm aſſimilandis, functioneſ multuſ deficere, atque ſanguiniſ craſin vitiari, neceſſuſ eſt.

§. 23. Enervantur autem eadem particulæ ſanguiniſ ſpirituofæ, ob admixtaſ heterogeneaſ, qualeſ primò ſunt viſcidaſ, crudæ chyloſæ, undecunq; genitæ, dum v. g. à cruruſ (cirrhoſo tumore hydropeſ provocatuſ *Schenk. l. 3. Obſ. & Heurn.* apud *Bonett. Sepulchr. p. 1027.* poſt Leucophlegmatiaſ annotarunt, pertinetq; huc etiam Aſciteſ poſt febreſ intermittenteſ, qualeſ obſervarunt *Lotich. Obſ. l. 4. River. C. 2. Obſ. 65. C. 3. Obſ. 16. & 23.* atque alii plureſ. Quemadmoduſ enim denſior ſub haruſ curſu fieri maſſa ſanguinea videtur, & ob abſumptaſ particulaſ magiſ ſeroſaſ, & ob admixtaſ chyloſaſ viſcidaſ, pluſ minus aciduſ; ita ſpiſſior evadit, & ad motuſ fermentativuſ circulareruſq; magiſ inepta, ob copioſioreſ ciboruſ à reconvaſcentibuſ ingeſtionem, chylique ſic crudioris ſupplementuſ, propter quaſ cauſaſ quoque tumoreſ peduſ oedematoſoſ frequentiſſime patiuntur.

§. 24. Deinde particulæ taleſ heterogeneæ ſunt ſeroſæ & aqueæ copioſioreſ, qualeſ, (1.) ab aſſumptiſ, v. g. in hydrope poſt frigidaſ ſimiliſq; potuſ ingurgitationeſ immodicaſ, vid. *Poter.*

*Poter. C. 2. c. 46. Willis. Phar. Rat. part. 2. p. 166. & Schenk. l. 2. Obs. (2.)* A fermento Ventriculi colliquativo acido-acri, quorsum referendus hydrops, qui ciborum calidissimis aromatibus conditorum, viniq; generosioris, item Spiritus vini abusum immoderatum sequitur, imò & iste aliquando, qui febribus acutis supervenit, secundum *Zac. Lusit. l. 2. hist. 122.* item Malignis juxta *Helm. Tr. Ignot. hydrop. §. 29. & Poter. C. 1. c. 87.* (3.) Faciunt huc quæcunq; occasiones, quibus & Transpiratio multum impeditur, & Renes simul ab urinarii laticis secretionem feriuntur; sic enim, viis his emissariis utrobique minus patulis, limpidus massæ sanguinæ latex multum augeatur, atque particularum spirituosarum virtus enervetur necessum est. Quoad Transpirationem impeditam notum est difficile sudare ægros nostros, quod equidem licet ut effectus hydropis sese habere videatur, quatenus feri maximâ parte intra abdomen congesta, parum fecerni ex massa sanguinea intra glandulas cutaneas potest, fibræ quoque cutaneæ, à sero nutritio minus rarefactæ, rigidiores sunt, hinc pori contracti; aliquando tamen etiam ut causa hydropem antecedere poterit, dum *Willis. l. c. p. 186.* de sanis quibusdam annotavit, his pedes non infrequenter intumescere, ubi aliquandiu lecto abstinere coguntur, propter coercitas scilicet intra massam sanguineam eas particulas, quæ sub lecti calore ex apertis magis poris liberius transpirare solebant. Renes Helmontius imprimis accusat, spectatq; huc quod *Willis. in pathol. Cerebr. c. 9.* habet, dum sæpius in hydropicis in medio renum cavitatem ingentem, pelvi maiorem, & aquâ limpidâ plenam annotavit, non obscurum læsæ feri urinarii in iisdem percolationis testem. Talis fuisse videtur Ascites, quam incurrit Baro apud *Timeum Consil. l. 3. cas. 28.* in quo post mortem renes flaccidi, & adeo parvi reperti, ut magnitudinem nucis juglandis vix æquarent, annotatq; idem autor, paucissimas hunc reddidisse urinas, etsi largius quandoque biberet. Et *Beverovicus Spicil. de Calcul. p. 204.* hydropem quoq; annotat, ex rene sinistro purulento toto, & dextro calculis obdito, ureteris orificiis obturantibus.

§. 25. Tandem particulæ tales excrementitiæ, spirituosas quæ enervant, sunt istæ omnes, quæ vel post inhibitas quascunq;

Evacuaciones solitas, vel propter viscerum quascunq; corruptelas natæ, sanguinem inficiunt, cujuscunq; tandem illæ sint indolis. Hujus commatis est Ascites ex hæmorrhoidibus suppressis secundum *Rbod. C. 3. Obs. 5.* ex mensibus suppressis secundum *River. Obs. communic. p. 316.* item quæ Ulcus pulmonum subsecuta, ex observatione *Baubini* apud *Bonett. Sepulchr. p. 425. Obs. 85.* ut nihil dicam de variis viscerum intra abdomen corruptelis, quas Ascitem insecutam passim autores testantur.

§. 26. Quæ in Organo, Corde scilicet, latent causæ tardioris sanguinis per arterias appulsus, sunt vel spirituum animalium, Cordis fibrosam substantiam infantium pauciores manipuli, vel ipsius Cordis vitia. Ex spirituum defectu vegeta minus cordis contractio concurrere videtur in illo hydrope, quem supra ex massæ sanguinæ serique hujus depauperatione deduximus. Quoad cordis vitia, facit huc, quam *Peierus Parerg. Anat. Med. 3.* adducit, historia de Ascite ex pericardii cum Corde coalitu; & *Baubinus* apud *Greg. Horst. Oper. tom. 1. p. 141.* in sectione hydropticorum vel pthysicorum diligenter ventriculos cordis inspicere jubet. Sed quemadmodum hoc de causis hæctenus dictis notari in genere meretur, rarò ex illis hanc istamve unicam & solitariam esse Ascitis causam, sed plerumq; plures ad hanc producendam concurrere; ita quoque multum licet sanguinis propulsio debilitetur ob polypos cordis, calculos ejus, ventriculos extenuatos &c. Ascites tamen vix ita promptè sequetur, nisi dyscrasia sanguinis, aut visceris alicujus intra abdomen labes concurrat. Imò suspicari licet in multis, præsentè jam hydrope, polypum cordis demum generari, quatenus ob elanguidum sanguinis per cordis ventriculos motum, serum ejus glutinosum intra hos secedit facilè, coagulatur, atque post diuturnam moram à calore cordis etiam in fibrosorum staminum duritiem velut excoquitur, vid. *Lower. de Cord. p. 128. 129.*

§. 27. Sed quæritur hic circa tardiores sanguinis per arterias appulsus, qui fiat, quod non in casu hoc Anasarca potius, quàm Ascites generetur? Ubi notandum, ad venosi sanguinis refluxum juvandum plurimum conferre partium, per quas movetur, structuram plus minus fibrosam & muscularem, quatenus sic ex contractione harum, atque pororum angustatione,  
ille

ille in capillares venarum radices melius exprimitur. Licet ergo à minus valido sanguinis per arterias appulſu, ſanguis venoſus in univerſo corpore ſegnius in venas impellatur, ex iis tamen partibus eum promptius refluere neceſſum erit, quæ fibris muſcularibus vel pluribus vel robuſtioribus ſunt donatæ, quales ſunt imprimis muſculoſæ in corporis habitu in Anaſarca. Nam intra abdomen quæ continentur ut Epar non niſi conglomerata quædam glandula eſt, Lien quoque merè membranacea & cellulosa compages; ita, propter expeditum minus in iis ſanguinis refluxum, partes has affectus noſtri ſcaturigines sæpe in caſu hoc eſſe, non improbabile eſt. Imprimis autem Omentum accuſari tunc poſſe ſuſpicari licet ex ſtructure ejus hanc in rem aptiſſima, dum conſtat tenuiſſimam illud eſſe membranam, venis tamen & arteriis compluribus donatam, ut facillimus ideo ſit & ſeri in eodem ſeceſſus, & in abdominis cavitatem defluxus.

§. 28. Ex allatis jam hætenus conſtat, non unam eandemque eſſe Aſcitis rationem. Ad modum enim generandi ſi attendamus, aliquando Morbus eſt primarius, v. g. quando potui copioſiori, illaudabili diætæ &c. vel ſecundarius, dum febribus, pthiſi &c. ſupervenit. Ratione diverſæ ſeri collectionis Aſcites eſt alia, ut ita dicam, Legitima, & qualis vulgo ſub hoc nomine intelligitur, ubi Aqua intra abdominis cavum fluctuat; alia Notha, qualis partim iſta eſt, ubi ſerum extra cavitatem abdominis collectum hæret; partim, ubi idem intra abdomen peculiaribus receptaculis includitur, ut in hydrope veſicali. Et huc ſpectat & illa Aſcites ſecundum *Williſium Phar. Rat. Part. 2. p. 158.* ubi præter lymphæ in aqualiculo diluvium, inſuper viſcerum parenchymata, vaſorum & membranarum parietes, ac imprimis glandulæ numeroſæ aquâ irriguâ madefactæ ubique intumeſcunt. Tandem & ratione ipſius Seri, Hydrops eſt alius humidus, alius ſiccus, quem admodum *Lindanus* eum appellat in colleg. MS. in *Hartm. Prax.* Prior eſt, qui pro cauſa continente Serum Sanguinis habet naturale, & de quo intelligenda præraque, quæ à nobis hætenus allata, & quæ vulgo de hydrope & eo qui ex intemperie frigida naſcitur, autores proferunt; poſterior eſt, qui ex ſero naſcitur, per colliquationem maſſæ ſanguinæ genito.

§. 29. Hydropis hujus colliquativi (ut pauca tantum quædam de eo hic interferamus) quemadmodum & *Hippocr. jam lib. de Flat.* & *Galenus l. 3. de Caus. sympt. c. 2.* mentionem fecerunt ita nomine hujus intelligenda fortasse sunt quæ autores de hydrope ex intemperie calida nato passim proponunt. Causam ejus credimus ut plurimum in digestionem primam vitiata consistere, fermento scilicet Ventriculi volatiliore atque acido acriore. Aptissimam hanc ejus acrimoniam esse pro seri massæ sanguinæ glutinosioris in liquamen aquosum fatiscencia, primò Purgantia fortiora vegetabilia docent, quorû vim contenta corporis nostri fluida colliquefaciendi, ab acrimonia eorum acido-falsa volatili concentrata dependere, egregiè ostendit in *Collegio Therapeut. Desideratissimus Præceptor meus Beatus Dn. D. Etmüller.* Deinde suadent illud febres colliquativæ, non tam calori intensiori, quàm acrimoniam fermenti febrilis acidiori volatili, & quasi causticæ tribuendæ, ut de fluxu diabetico nihil hic dicam, quem *Willis.* Sali acido in Massa sanguinæ excedenti adscribit *Phar. Rat. part. 1. p. 103.* Imò confirmant hoc tandem & causæ hydropis hujus colliquativi remotiores, quas §. 24. adduximus. Ubi enim vinum generosum, Spiritus vini aromata quoque acriora frequentius atque copiosius assumpta sunt, sanguinis motum fermentativum, ob acidum suum volatile plus minus oleosum insigniter augent, sub quo & fecernuntur copiosius particule serosæ, & gelatinosæ nutritiæ magis attenuantur, imò tandem in liquamen faceffunt aquosum, ubi acrior sensim reddita est massa sanguinea universa ipsumque Ventriculi fermentum digestivum, assumpta hinc omnia in simile liquamem transmutans. Sic & idem Fermentum acidum volatile acrius, quod & acutarum benignarum & malignarum (sub majori tamen acrimonia) autor est, aptum est, ut & succum sanguinis chylosum, & depositam intra sacculos suos adiposos pinguedinem colliquefaciat, atque sic hydrope producat. Cognoscitur hydrops hic colliquativus ex Urinis insigniter rutilantibus, crassis atque flammeis febricula continua, summa siti, & cute squalida atque arida in manibus. Purgantia imprimis ei plus nimium nocent, & quantumcunque etiam aquæ uno die exhaustum fuerit, tantumdem brevi iterum adest, licet parcissime bibant ægri,

§. 30. Quoad signa Diagnostica, ut plurimum, ubi sese manifestare incipit, pedes prius, hinc crura, femora, atque tandem abdomen intumescunt, quatenus fere tunc sanguinis & huius lymphæ subest vitium, cuius cum difficilior sit secundum perpendicularum ascensus, manifestior ejus circa pedes primò contingit collectio. Sæpe quoq; abdomen prius intumescit, hinc femora, tibiæ, pedes, velut apud *Borell. C. 1. Obs. 70.* propter effusam scilicet intra integumenta abdominis è vasis suis lympham, atque sensim pondere suo, intra horum interstitia, in partes inferiores depluentem. Exerescit verò tumor pedum amplius interdum ægro stante vel sedente, ob faciliorem feri in situ hoc, & perpendiculararem quasi, ex partibus superioribus, descensum, aut difficiliorem versus superiora motum, secus atque fit ægro decumbente, ubi secundum lineam horizontalem quasi idem serum & movetur felicius per vasa sua, & in laxos vicinarum partium & laterales poros se insinuando, multum tumorem decrecere facit. Dum verò idem glutinosum non nihil est, partiumq; poros ad summam plenitudinem nondum distendit, istæ compressorum digitorum vestigia aliquandiu retinent, hinc tensæ admodum redditæ, & velut inflatæ, splendere non nihil videntur, ob explanatas magis fibrarum cutanearum porositates. Notandum verò, quod *Helm. Tr. Ignot. hydrop. §. 19.* inculcat, tensionem istam non à sola esse aquarum quantitate, sed cum acrius serum hoc ut plurimum sit, fibræ cutanæ irritatæ vehementius sese stringunt, atque rigidiores sic factæ tensionem istam multum augent. Cæterum in abdominis cavo dum fluctuat serum, in quodcumq; latus Æger se converterit, illuc quoq; pondere suo abdomen prolabi cum impetu quodam facit, atque aquæ quædam quasi fluctuatio percipitur; dum vero Æger erecto est corpore, ob gravitatem suam ponderis sensum, in regionem inguinum procumbentis, infert. Sed cum spatium abdominis multum quoque sic angustet, atque diaphragmatis in inspiratione explicationem impediat, Dyspnœam illam in hydropicis maximè urgentem efficit, plurimum huc simul contribuente, & musculorum abdominis læsâ contractione, & fibrarum imprimis, à sero acriore irritatarum, spasmodica quadam circa hypochondria rigiditate & tensione. Interea dum succo

nutritio, orbata sic maximam partem massa sanguinea nihil habet, quod intra poros partium deponat, hæ, fibris suis proximius sibi invicem accedentes, de pristina inflatione multum remittunt, atque emaciantur. Unde laudabilis hujus feri intra ventriculi glandulas parciore quoq; facta secretionem, dum fermentum hujus deficit, minus item spirituosum est, appetitus prostermitur. Si acrius atque falsius ejus loco in Ventrículum suffusum fuerit, ob peculiarem orificii superioris ab acrimonia hac factam irritationem, Sitis gravior oritur, quæ mitior aliàs à Salivâ quoque parciore aut glutinosiore, & fauces minus humectante, dependet. Porro & paucas urinas excernunt hydropici, ob idem particularum serosarum ex massa sanguinea in aqualiculum depluvium; quemadmodum tinctæ magis atque flammæ aliquando notantur eadem, ob acidi præternaturalis dominium. Imò & febris tandem continua lenta ab eodem hoc excitatur, ubi ad eam plenitudinem intra sanguinem aggestum fuerit, ut fermentationem ei præternaturalem auctiorem inducere potens sit.

§. 31. Prognosin quod concernit, addere hanc, paginarum insperata prolixitas vetat, quæ ipsa quoque facit, ut paucissimis Curationem saltem delibemus. Scopi hujus sunt, primò, hoc quodcunque in abdomine præternaturaliter Serum collectum est, evacuare; deinde, ne recens profundatur, præcavere. Primo scopo quæ inserviunt, sunt remedia tam chirurgica, quàm pharmaceutica; ex illorum genere optima est Peracanthesis abdominis, sed mature, & constantibus adhuc viribus instituta; inter hæc laudantur, pro interno quidem usu, Purgantia, Sudorifera, & Diuretica; pro externo, Balnea, Fomentationes, Cataplasmata, Linimenta, Emplastra &c. In secundo scopo, ad causarum varietatem attendendum; sed cum ut plurimum malum in vitiata sanguinis crasi radicetur, in genere Digestio prima erit emendanda, fermentatio sanguinis promovenda, atque urinæ fluxus provocandus.

§. 32. Sed antequam filum abrumpamus, primò notandum est circa remedia pharmaceutica, Sudorifera malè hic à quibusdam promiscue laudari. Etenim cum difficillime sudent hydropici, propter pororum intercutaneorum occlusionem, in parti-

partibus quidem superioribus à fibrarum ariditate dependen-  
tem, in inferioribus autem, à fibrarum earundem tensione  
quadam & rigiditate spasmodica; sanguis à remedii particulis su-  
dorificis in textura sua dissolutus, quas per glandulas intercuta-  
neas non potest, in Ascitis nidum serositates amplius deponit,  
vid. *Willis. Phar. Rat. part. 2. p. 165.* item *Plat. Prax. tom. 3. p. 286.*  
Idem fit, ubi purgantia quoque fortiora, aut Diuretica acriora  
usurpantur; imò mirum est, quò toties à remediorum purgan-  
tium & diureticorum usu optatus finis obtineri potuerit, & ad-  
huc obtineatur, dum & dissolvitur magis ab utrisq; massa san-  
guinea, atque in serositates abit, & eadem remedia intra prima-  
rum tantum viarum canales, vasa sanguifera, lymphatica, his-  
que similia, atque partium tandem porosam substantiam, vim  
suam exserere apta sunt. Certè suspicari licebit, serum sæpius,  
non tam in ipsa abdominis tunc cavitate, quam vel inter peri-  
tonæum hujusq; integumentorum interstitia, vel intra visce-  
rum tunicas, glandulas, atque fibras contineri, sic enim inanità  
massa sanguineâ capillares venarum extremitates circumfluum  
ubique serum facile intra oscula sua recipiunt, & per debita co-  
latoria evacuant, vid. *Willis. l. c. p. 159.* aut confugiendum erit  
cum *Helmont. Tr. Ignot. hydrops §. 29. p. 414.* ad actionem natu-  
ræ regularem & heteroclitam, quæ eadem facilitate & serum  
asciticum in sanguinem recipiat, quemadmodum aliquando so-  
let fluctuantes intra empyematicorum thoracem purulentias,  
atque has nunc per alvum, nunc per urinas evacuare.

§. 33. Deinde meritò hic quæritur, quid in causa sit, quod  
copiosorem aquarum eductionem tanta virium imbecillitas, &  
mors ipsa consequatur, attestante id jam pridem *Hippocr. Sect. 6.*  
*Aph. 27.* & quotidianâ experienciâ comprobante. Equidem  
quæ sanguinis immoderatas profusiones, purgationes vehe-  
mentiores, sudores nimios, fluxus urinæ colliquativos comita-  
tur insignis virium debilitas, & succi laudabilis, & spirituum cum  
hoc jacturæ adscribi jure videtur; sed in eductione seri ascitico-  
rum istud vix locum habet, cum ut *Helmont. l. c.* loquitur §. 20,  
latex hic extra vitæ consortium semel rejectus jam excrementi  
naturam subeat. Si quis conjecturæ locus est, fortassis, ali-  
quando saltem, causa hujus phænomeni sequens concipi potest.

Nimi-



Nimirum ubi ea, quæ intra abdomen est, aquarum scaturigo, ob distentum ad summam plenitudinem aqualiculum, nullum amplius laticem deponere potuit, educto hoc, quem deposuerat, recentem denuo in patulam magis cavitatem largius effundit. Quo dum massa sanguinea in copiâ subito spoliatur, necessum est, ut ob consistentiam ejus sic vitiatam, & particularum spirituosarum deficiens supplementum, insignis totius œconomix animalis alteratio sequatur, atque motu tandem sanguinis & intestino & circulatorio cessante, Mors. Non impossibilem autem hunc esse laticis recentis copiosorem profluxum per suadet nobis rusticus ille apud *Helmont. l. c. §. 14.* qui, postquam omnis aqua intra duodecim horas à circumforaneo ei esset adempta, sequenti mane, pristina ventris mole turgidus extinctus est; facitque huc etiam insignis à pure, altero post paracenthesin institutam die, thoracis repletio, quam annotavit *Excell. & Experientiss. Dn. D. Bohn* in quodam, post pleuritidem factò empyematico, ita ut ex vulnuscule, thoraci hujus post mortem influcto pus cum impetu profiliret. Et fortassis multum huc contribuit aër, in locum aquæ eductæ succedens, qui eo, quo aquæ gaudebant, calore destitutus, visceribusq; hinc intra abdomen molestus, irritando hæc à sero plus minus corrupta, uberius lymphæ depluvium concitat. Atq; hæc de Ascitis natura, pro ingenii tenuitate, dicta sufficiant. Faxit verò **DEUS TER OPTIMUS MAXIMUS**, ut & in Nominis ejus gloriam, & Proximi emolumentum omnia vergant, cui pro præstita huc usque opera

**LAUS & HONOR SIT IN SECULA.**

